

## No. XXVI.

1368.

*Tyderici* Episcopi Brandenburgensis Confirmatio juris patronatus ad Altare Jacobi et Stephani pro fraternitate kalendarum in Everswalde. Datum feria quarta post dominicam qua cantatur: *Judica me Deus.*

*Ex Origin. membr.*

**N**os *Thydericus*, Dei et apostolicę sedis gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus ad omnium presentium et futurorum noticiam perpetuam, tenore presentium publico cupimus devenire per presentes, quod literas felicis memorie quondam *Tyderici* Brandenburgensis Episcopi Predecessoris nostri, quibus fraternitatem kalendariorum Clericorum et Laycorum in et circa opidum Everswald constitutorum olim approbavit et laudavit cum suis statutis consuetudinibus et eiam specialium gratiarum articulis in hiis ex certis causis expressis et contentis. Nec non literas incliti Principis ejusdem memorie Domini Ludewici Romani, quondam Marchionis Brandenburgensis et Lusacie, quibus predictę fraternitatis Decano, qui pro tempore fuerit et fratribus duntaxat clericis jus patronatus altaris sanctorum Jacobi Apostoli et Stephani Prothomartiris in ecclesia parochiali ibidem in Eberswalde situati transferendo a se in eos solemniter sicuti in literis ejus apparet dedit et donavit. Ad instantem requisitionem Dominorum Decani et fratrum Kalendarum jam dictorum speciali devotione quam ad eos et eorum fraternitatem gerimus fraternitatis et orationum et aliorum bonorum operum que per eos sint participes fore copientes. Quod omnes suos articulos in literis utrisque contentos et clausulas de consilio peritorum nobis tunc assistencium ratificavimus approbavimus et affirmavimus. Nec non presentibus autoritate ordinaria qua fungimur ratificamus approbamus et in nomine domini confirmamus, volentes eas perpetue manere et valere. Apponentes et ipsis dictis fratribus XL. dies indulgentiarum, quas ultra indulgentias predecessoris nostri predicti. Etiam omnibus

bus